

Stabis et adiunctas arte movebis aves;
 Ducentur capti iuvenes captaeque puellae:
 Haec tibi magnificus pompa triumphus erit.
 Ipse ego, praeda recens, factum modo vulnus habebo
 30 Et nova captiva vincula mente feram;
 Mens Bona ducetur manibus post terga retortis
 Et Pudor et castris quidquid Amoris obest.
 Omnia te metuent, ad te sua bracchia tendens
 Vulgus 'io' magna voce 'triumphe' canet.
 35 Blanditiae comites tibi erunt Errorque Furorque,
 Adsidue partes turba secuta tuas:
 His tu militibus superas hominesque deosque,
 Haec tibi si demas commoda, nudus eris.
 Laeta triumphanti de summo mater Olympo.
 40 Plaudet et adpositas sparget in ora rosas,
 Tu pinnas gemma, gemma variante capillos
 Ibis in auratis aureus ipse rotis.
 Tunc quoque non paucos, si te bene novimus, ures,
 Tunc quoque praeteriens vulnera multa dabis;
 45 Non possunt, licet ipse velis, cessare sagittae,
 Fervida vicino flamma vapore nocet.
 Talis erat domita Bacchus Gangetide terra:
 Tu gravis alitibus, tigribus ille fuit.
 Ergo cum possim sacri pars esse triumphi,
 50 Parce tuas in me perdere, victor, opes!
 Adspice cognati felicia Caesaris arma:
 Qua vicit, victos protegit ille manu.

III. Iusta precor: quae me nuper praedata puellast,
 Aut amet aut faciat, cur ego semper amem!
 A, nimium volui! tantum patiatur amari:
 Audierit nostras tot Cytherea preces!
 5 Accipe, per longos tibi qui deserviat annos,
 Accipe, qui pura norit amare fide!
 Si me non veterum commendant magna parentum
 Nomina, si nostri sanguinis auctor eques,
 Nec meus innumeris renovatur campus aratris,